



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. Vtrum forma substantialis, seu forma & materia simul sint principium
indiuiduationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

sunt vnum materia, quæ sunt vnum genere: ergo non debet intelligi quod capiat materiam pro materia prima physica: & præterea sicut ipse capit materiam pro genere aliquando, quare non caperet aliquando materiam pro hæcitate?

Respondeo tertio negando consequentiam; quia solum sequitur quod non posset fieri multiplicatio numeralis nisi in rebus materialibus, seu dicentibus ordinem ad materiam: sed hinc non sequitur quod materia sit principium formale, aut radicale indiuiduationis; nam licet nihil possit esse risibile, quod non sit animal, tamen non inde sequitur quod animal sit principium radicale; aut formale constitutum risibilis.

47. *Dices*: saltem ex locis illis sic intellectus habetur quod non possit dari multiplicatio indiuidualis in vna specie Angelica, quod est contra Doctorem.

Respondeo, concedendo sequelam iuxta Philosophum, qui ex duobus principiis id collegit: primum est quod Angeli erant producti ab æterno, & quidem necessario: secundum, quod omne multiplicabile numeraliter sit multiplicabile in infinitum; ex his enim duobus principiis colligit, si Angeli essent multiplicabiles numeraliter, & multiplicarentur de facto, quod infiniti Angeli de facto essent producti: quod cum ipse reputarit absurdum, non est mirum quod existimaret Angelos non esse multiplicabiles numeraliter.

Verum ex his duobus principiis primum est manifeste falsum: quid ergo mirum quod ex principio falso conclusio falsa sit deducta? & si nos discouimus cum Philosopho in principio, cur non etiam in conclusione?

Possit etiam responderi quarto: quod ipse vnum numero non acceperit in illis locis pro eo, quod non est vniuersale, sed pro toto quantitativo particulari, quod haberet partes continuatas inter se & discontinuatas à quocumque alio: quo sensu superius diximus vnum numero accipi à quibusdā authoribus, qui fortassis acceptione illā sumpserūt à Philosopho in prædictis & aliis similibus locis; in hoc enim sensu posset esse quod nihil sit plurificabile numero, quod non constet materia.

48. *Ioannes à sancto Thoma* particulariter vrget contra nos, quod Philosophus 12, *Met. tex. 49.* probet non dari plures Deos numero distinctos, quia Deus caret materia, & quæcumque numero tantum sunt distincta habent materiam. Et postquam probauit materiam ibi non posse capi pro hæcitate, sed pro materia physica, addit probationes quibus Philosophus probat Dei vnitatem aut eius perfectiones, non esse contemnendas, quia per ipsas cognouerunt Philosophi verum Deum & Apostolus dicit *Rom. 2.* Quod cum ipsi cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.

Respondetur quantum ad hoc vltimum, licet verum esset quod cognouissent Philosophi, & inter ipsos Aristoteles Deum verum, teste Apostolo, non tamen inde sequi quod cognouerint ipsum per rationes bonas, quia poterant agnoscere ipsum per rationes aliquas sibi apparentes, sed reuera malas. Et præterea licet cognouissent ipsum per rationes veras & bonas, non tamen sequeretur quod omnes rationes, quibus ad hoc utebantur essent bonæ; & præsertim id negari deberet de ratione prædicta, si intelligenda esset in sensu aduersarij.

Respondeo vterius illum posse intelligi de materia non prima & physica, sed de materia, prout idem est materia ac res determinabilis ac contrahibilis: nihil enim potest diuidi numero intra eandem speciem, nisi quod includit materiam specificam determinabilem, & consequenter materiam in hoc sensu; vnde, quia Deus non includit materiam in hoc sensu propter suam infinitatem, ideo sequitur optime quod sit vnus numero. Quæ responsio facilis est, & potest applicari cæteris authoritatibus Philosophi, quibus significat materiam esse principium indiuiduationis.

49. *Obiicies secundo*: debet assignari aliqua radix, ratione cuius cõpetat rei principium formale indiuiduationis: sed non potest assignari aliud cõuenientius quā materia prima: ergo materia prima, saltē erit principium ra-

diale indiuiduationis, vel secundū se, vel vt est signatus.

Respondeo: sicut ipsa materia prima potest intelligi singularis & vna numero absque aliqua radice, quæ mediante deberet ipsi conuenire sua hæcitas, ita etiam quæcumque aliam rem posse intelligi; vnde in forma respondeo distinguendo maiorem: aliqua radix distincta realiter à re indiuidua, nego maiorem: aliqua radix, hoc est ipsamet res indiuidua, concedo maiorem, quæ etiam simpliciter negari potest.

Obiicies tertio. Materia signata, hoc est, vt capax huius & non alterius quantitatis, non potest intelligi vt vniuersalis: ergo est de se singularis, & consequenter est principium indiuiduationis.

Respondeo negando secundam consequentiam: Petrus enim non potest intelligi vt vniuersalis, & est de se singularis, & tamē non propterea est principium indiuiduationis siue ipsius, siue etiam alterius, sed potius est indiuiduum constitutum per principium indiuiduationis. Itaque non illud, quod est singulare vt quod, sed potius illud, quod est singulare, vt quo, hoc est, quo constituitur res in esse singularis, est principium indiuiduationis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum forma substantialis, seu forma & materia simul sint principium indiuiduationis.

Aliqui putant solam formam esse principium indiuiduationis; alij formam & materiam: hoc ergo hic est examinandum.

CONCLUSIO I.

Forma substantialis non est principium indiuiduationis. Probatur primo, quia est intrinseca naturæ specificæ, ergo non est principium indiuiduationis. Hoc argumento vsi sumus quæstione præcedenti ad probandum materiam non esse principium indiuiduationis. Videantur ibi dicta.

Probatur secundo, quia forma non potest esse principium indiuiduationis materiæ: ergo non est principium indiuiduationis omnium rerum materialium, quod est intentum conclusionis. Probatur antecedens, tum quia materia præsupponitur formæ, & quidem materia singularis formæ singulari, sicut materia in communi formæ in communi; tum etiam quia eadem materia singularis potest informari per diuersas numero formas.

Probatur tertio, quia eadem forma potest esse in diuersis indiuiduis; sed hoc esset impossibile, si indiuiduarentur per ipsam: ergo non est principium indiuiduationis.

51. *Obiicies primo*: Vna numero forma non potest simul, nec successiue esse in pluribus materiis, sicut vna numero materia potest esse successiue sub pluribus formis: ergo forma est incommunicabilis, & consequenter principium indiuiduationis.

Respondeo primo negando antecedens, cuius oppositum supposuimus probatione vltima: & patet, quia nihil impedit quominus anima, quæ est in hoc corpore, sit in alio corpore eiusdem rationis.

Respondeo secundo negando consequentiam, quia quamuis forma singularis sit ratio cur compositum, in quo est, sit distinctum numero à quocumque alio composito, tamen non inde sequitur quod materia, aut alia res corporales sint distinctæ numero à cæteris rebus, & consequenter forma nequit esse principium indiuiduationis omnium rerum materialium.

Obiicies secundo: quod distinguit & separat ab aliis, est principium indiuiduationis: sed forma est, quæ distinguit & separat ab aliis, ergo.

Respondeo distinguendo maiorem: quod distinguit & separat numeraliter, concedo; quod alio modo distinguit & separat, nego maiorem. Similiter distinguo minorem: sed forma physica, de qua loquimur, distinguit & separat essentialiter, transeat; numero, nego minorem, & consequentiam. Imo neque forma distinguit etiam essentialiter, nisi compositum physicum: quare ad summum concedendo argumentum in toto rigore, non haberetur aliud, nisi quod esset principium indiuiduationis compositi; ex hoc autem non sequeretur, quod esset principium indiuiduationis omnium rerum materialium, vt paulo ante dixi.

CONCLV

Angeli
secundū
Philosopum
non possunt
multiplicari
numero
intra eandem
speciem.

Forma
substantialis
non
est principium
indiuiduationis.

CONCLUSIO II.

52. *Materia, & forma simul non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.*

*Probat*ur: quia materia & forma simul includuntur in natura specifica corporis cuiuscumque naturalis: ergo non sunt principium indiuiduationis; nihil enim, quod includitur in natura specifica, ut distinguitur à singularitate, potest esse principium indiuiduationis istius rei, in qua includuntur, & multo minus aliarum rerum.

*Dicit*ur: materiam & formam singularem non includi in materia specifica, & consequenter materiam, & formam singularem posse esse principium indiuiduationis.

Contra: si materia & forma ut sic, quid distinctum à natura specifica ipsorum, & consequenter materia, & forma singulares non sunt principia indiuiduationis, sed potius illud, per quod singularizantur. *Præterea* principium singularizandi, seu indiuiduationis non potest esse sine re, quæ singularizatur per ipsum: sed materia, & forma singulares possunt existere à parte rei sine toto composito singularizato per illas; ergo non sunt principium singularizandi totum compositum.

Dices maiorem esse veram, loquendo de principio formali metaphysico, non vero loquendo de principio radicali physico.

Contra primo: quia modo quærimus de principio metaphysico indiuiduationis. *Secundo*, quia materia & forma non sunt principia indiuiduationis etiam physica, nisi composito, in quo includuntur: sed dantur aliæ res materiales præter compositum: ergo materia & forma simul sumpta non sunt principium indiuiduationis omnium rerum materialium.

Confirmatur quia materia & forma non sunt principium indiuiduationis ipsius materiæ, aut ipsius formæ, aut etiam accidentium: ergo non sunt principia indiuiduationis omnium rerum materialium.

53. *Obiicit*ur: principia essendi rei sunt principia unitatis rei: sed materia & forma sunt principia essendi indiuidui: ergo sunt principia unitatis indiuidualis, & consequenter indiuiduationis.

*Respondet*ur distinguendo maiorem: principia intrinseca essendi sunt principia unitatis, concedo maiorem; principia extrinseca, nego maiorem. Distinguo etiam minorem: materia & forma sunt principia essendi indiuidui composito ex materia & forma, concedo minorem; indiuiduo non composito ex materia & forma, nego minorem. Similiter distinguo consequens: sunt principia unitatis indiuidualis indiuidui compositi ex materia & forma, concedo; aliorum indiuiduorum, nego. Itaque concedo quod omne compositum materiale, sicut habet pro principio radicali physico generis & differentie suæ metaphysicæ materiæ & formam physicam quoad speciem suam, & prædicata essentialia: ita habet etiam pro principio physico radicali suæ indiuiduationis materiæ & formam singularem simul sumpta: propterea enim est tale compositum singulare, quia constat tali forma & tali materia singulari, & nihil aliud potest constare ipsis simul sumptis, nisi hoc numero compositum: sed hinc non sequitur materiam & formam, aut quolibet ex illis esse principium radicale, ac multo minus formale, indiuiduationis omnium rerum materialium, quia ipsa materia non potest esse principium indiuiduationis sui ipsius, neque forma, nec utrumque simul potest esse principium radicale aut formale indiuiduationis accidentium, ut iam ostendemus.

QUÆSTIO VIII.

Utrum accidentia indiuiduantur per subiectum, vel animam rationalem per materiam.

CONCLUSIO I.

54. *Accidentia nulla absoluta indiuiduantur à suis subiectis.* Hæc est communissima Scotistarum & recentiorum cum D. 4. dist. 12. qu. contra Sanctum Thomam 1. par. qu. 39. art. 3. & qu. 29. art. 1. qui oppositum tenet de omnibus accidentibus, quamvis *Caiet.* & aliqui alij dicant quod excludat quantitatem, quasi hanc vellet indiuiduari seipsa.

*Probat*ur primo conclusio, quia nihil unius generis potest facere unum per se cum re alterius generis: ergo subiectum accidentium (sive sit materia prima, sive totum compositum substantiale ortum ex materia & forma) non potest esse principium indiuiduationis accidentium, quæ sunt alterius omnino predicamenti ab ipso. *Probat*ur consequentia, quia principium indiuiduationis debet facere unum per se cum re, cuius est principium indiuiduationis; & hoc quidem concludit de principio formali indiuiduationis. Sed fortassis Thomistæ non volunt subiectum esse principium formale indiuiduationis accidentium, sed principium fundamentale. Sed contra hoc tamen est quod principium, etiam radicale, indiuiduationis debet esse tam intrinsecum rei indiuiduatæ, ut non possit existere res indiuiduatæ sine illo: sed accidentia absoluta, ut quantitas & qualitates possunt existere sine suo subiecto, ut patet de facto in Eucharistia: ergo subiectum non est principium etiam radicale indiuiduationis ipsorum.

Respondent aliqui ex Thomistis, quantitatem esse subiectum qualitatibus, & qualitates indiuiduari per ipsam, ipsam autem quantitatem indiuiduari seipsa.

55. *Sed contra*, quia per potentiam Dei qualitates possunt conservari sine quantitate tam bene, quam quantitas sine subiecto; ergo si quantitas non indiuiduetur per suum subiectum ex eo quod possit esse sine ipso, qualitates etiam non indiuiduantur per quantitatem, quandoquidem possint esse sine quantitate. *Probat*ur antecedens, quia essentialius dependet quantitas à substantia, quam qualitas à quantitate, ergo si quantitas potest esse sine substantia, qualitas poterit esse sine quantitate. *Probat*ur secundo, quia non potest ostendi ratio repugnantie, nisi petatur principium, dicendo quod ex eo non potest esse qualitas sine quantitate, quia indiuiduatur per ipsam.

Confirmatur hoc, quia antequam fuit separata quantitas à substantia panis, idem esset indicium colligendi, quantitatem indiuiduari per substantiam, quod de facto est colligendi qualitates indiuiduari per quantitatem: ergo sicut male colligeretur tunc, quod indiuiduaretur quantitas per substantiam: ita male colligeretur de facto qualitas indiuiduatur per quantitatem.

Contra secundo, quia æque facile potest defendi, qualitates & quæcunque alia entia materialia indiuiduari seipsis, ac potest defendi quantitatem indiuiduari seipsa: ergo qui diceret unum, deberet dicere alterum.

Contra tertio, quia ex illa responsione sequitur quod materia non sit principium indiuiduationis rerum materialium omnium, quod est contra aduersarios.

Contra quarto, & potest esse tertia probatio conclusionis: illud non potest esse principium indiuiduationis alicuius accidentis, quod æque bene potest coniungi cum illo accidente ac cum alio numero tantum distincto ab ipso: sed in eadem numero quantitate possunt inherere duæ qualitates numero tantum distinctæ, v.g. duæ albedines, saltem successive, neque enim in hoc potest ostendi vlla implicantiæ: ergo quantitas non est principium indiuiduationis qualitarum.

56. *Respondent alij Thomistæ*, quando dicitur quod accidentia indiuiduantur per subiectum, hoc non esse intelligendum ita, ut ipsum subiectum sit principium indiuiduationis, aut etiam ordo actualis accidentis ad ipsum, sed ita, ut ordo aptitudinalis accidentis ad subiectum sit principium indiuiduationis.

Contra tamē hoc etiam, quia eadem numero albedo, v.g. posset successive inherere variis subiectis, ergo dicit ordinem aptitudinalem ad varia subiecta: ergo non indiuiduatur per ordinem aptitudinalem ad subiectum. *Probat*ur consequentia, quia non potest indiuiduari per plures ordines: sed si indiuiduaretur per ordinem aptitudinalem, deberet indiuiduari per plures: non enim est maior ratio, quare per unum potius, quam per alterum, & consequenter debet indiuiduari per omnes, si per vnum indiuiduatur.

Contra secundo, quia hæc numero albedo, quæ est in pariete, dicit ordinem aptitudinalem ad quodcunque subiectum, ad quod dicit ordinem aptitudinalem albedo, quæ est